

Fragment of text from the adjacent page, showing several lines of handwritten script in a historical cursive hand. The visible characters include 'M', 'V', 'M', 'M', 'A', 'A', 'M', 'V', 'X', 'X', 'I', 'I'.





3 III.  
CLASSICVM AD  
Germanos.

CONTRA TUR-  
CAS MUSVLMANNOS  
EXECRANDA IMPIETATE, ET  
inaudita crudelitate in Ecclesiam filij  
Dei grassantes publicè re-  
citatum

IN  
Academia Rostochiensi

A  
MARTINO BRASCHIO P. B.  
& Logices Professore.



FRANCOFVRTI;

Typis Ioannis Collitij, impensis Pauli  
Brachfeldij.

3.

---

ANNO M. D. XCVII.









Vousq; tandem, Germani, abuti patientia nostra Scythicum illum latronem sinemus? quam diu ignavia nostra illius furorem alemus? quādo de salute nostra ab illius immanitate vindicandā seriō cogitabimus? Annus jam quintus agitur, cum superbissimus hostis, iterum fide & foederibus ruptis, Croatiam finitimam Bosnae inuadit: Hungariae reliquias decerpit: castella & vrbes occupat: Christianos jugulat: captos in miserrimam seruitutem abducit: Austriae minatur: Germaniae, imō vniversi orbis Christiani perniciem atq; exitium anhelat. Deliberatum quidem à Principibus quotannis est: collata ab ordinibus imperij pecunia: conscriptae mediocres copiae. Sed deliberatum magis est, quàm pugnatū. Serō & adultā aetate milites nostri inaugurantur: serō in aciem educuntur: imminente autumno citō dilabuntur, & quis nō in illis praedae maiorem quam praelij cupiditatem culpat? quis non de seditionibus conqueritur; quis non proditorum perfidiam in medijs castrorum nostrorū visceribus pertimescit? Strigonium anno superiore & pauca alia castella recepimus, sed, ut omnium sermonibus & literis confirmatur, aegrè retinemus. Iaurinum vero murum & propugnaculum Germaniae munitissimum amisimus. Pappa hostibus dedita est. VVihitscum multō antè solo aequatum: VVesprinum captum: Siseccum à nostris desertum. Vicimus nonnunquam, sed saepius victi sumus, & magis vim repulimus à cervicibus nostris, quam hostibus iutulimus. Dicam equidem, Germani, dicam id; quod omniū vestrum ore fertur, quò minus vobis succensere mihi licebit, si vni tribuerim, quod vos omnes illi tribu-



CLASSICVM

itis. Vni Transyluaniae principi, salutem, vitam, & fortunas vestras debetis. hic unus hactenus inuictus fuit: hic non solum regionem & subditos suos, sed latera & vitam pro vobis gladio Turcico obiecit: illius virtus & fortuna Turcicos exercitus profligavit & à finibus nostris reiecit. Quod si hunc fortem appellatis; si ejus virtutem & victorias in coelum fertis.: quæ in eo preclara fortitudinis & fidei exempla laudatis, eadem æmulari debetis. Nolite concedere, Germani, ut in sociorum auxilio ad salutis vestrae conservationem plus momenti fuisse dicatur, quàm in manum atq; armorum vestrorum virtute.

Atq; ut intelligatis quam promptè vobis hoc bellum suscipiendum & quam acriter gerendum sit: dicendum mihi videtur: tum cum quo hoste, quam potente quicquam moliente, vobis congregiendum sit: tum quibus causis ad arma inter vos deponenda, contra hostem sumenda impelli debeatis.

Non certè est, quod quispiam existimet, aut se procul ab hoc periculo abesse, aut tum demum arma sumenda esse, cum se propè perniciem atque pestem illam obruerit. Non nobis cum illo hoste res est, qui aut propter ignaviae condemnendus sit: aut propter virium imbecillitatem negligendus, aut propter locorum intervalla nondum metuendus aut propter fidei sanctitatem in societatem, & pacis conditionem asciscendus. Nihil illo ad suscipienda bella alacrius, ad gerenda constantius, ad conficienda pertinacius. Vires sunt tantæ quantas sæpe experti sumus. tam longè à nobis abest, ut propè cervicibus nostris immineat: fidei & jurisiurandi prætextu nihil præter utilitatis suæ occasionem foeneratur. Quod si is esset, qui sua tantùm tueretur, quique provocatus armis iniuriam à se propulsaret, aut qui intra mediocres terminos regnandi cupiditatem contineret: paulùm fortasse curam & sollicitudinem nostram remitteremus. Iam vero quos ille non vltro laceffivit? quo non injuriæ prætextu pro justâ vindictâ usus est; quos non ad societatem contra alios accitus



AD GERMANOS

accitus ipsos regno exuit? quibus metis immensam & inexple-  
bilem dominandi libidinem circumscripsit? Quod etsi abomi-  
nabile & ab humanitate alienum sit: tamen in illo hoste eò  
minus mirari debemus quod illi hi mores non solum à natura  
infiti, maiorum consuetudine confirmati: Verum etiam ipsa  
Alcorani sui lege permissi adeoque mandati & impressi sint.  
Quis enim hoc ferè nostrum ignorat, primam illam Mahome-  
tis legem esse: ferro ut Religionem & regnum suum propaget,  
& tam longè latèque imperet, quàm latè gladio sibi viam ape-  
rire possit? Quam quidem legem non magis in tabulis Alcora-  
ni scriptam, quàm menti Turcarum insculptam: neque tam  
verbis legis latoris, quàm factis posterorum expressam videmus.  
Illa Othomanorū familia, in quā jam decimus tertius imperare  
cœpit, huius legis usurpatione, naturæq; suæ atq; crudelitatis ac  
libidinis instinctu, ferro, vi, flammis & latrocinijs ex quam par-  
uis initijs in quantam magnitudinem excrevit? Qui in angulo  
Minoris Asiæ primum tentoria fixerat: quantum abest, vt intra  
trecentos annos omnes Romani imperij provincias paulatim  
occuparit? Vt enim stagna & maria alluentium fluctuum vio-  
lencia litora paulatim extendunt, abrasā terrā: ita Tyranni & re-  
ges imperij fines. Nonne ex Iconio egressus, primum fertilissi-  
mam auque olim florentissimam regionem Asiam quam mi-  
norem vocamus-re ipsa maximam, cum vicinis regionibus im-  
perio suo subegit? nonne hisce tanquam latrocinijs quibusdam  
opimis spolijs illectus ad septentrionem quidem & Oriētem ul-  
tra Armeniam & Euphraten: ad Meridiem verò usq; ad Arabiā  
Felicem omnia sub potestate suam redegit? nonne Syriam su-  
am fecit? Aegypti Soldanum regno exuit? Ad Septentrionem  
autem & Occidentem postquam Thracium Bosphorum semel  
trajecit, quo non illius insatiabilis prædandi & dominandi licē-  
tia prorupit? quas non Europæ provincias concupivit? quas non





CLASSICVM

vrbes aut occupauit, aut solo æquavit? quos nõ exercitus Christianorum profligauit? Quis Græciam humanitatis olim & sapientiæ officinam paulatim decerpfit, nisi Turcus? Euboëa, Thessalia, Peloponnesus cui cessit, nisi Turco? Athenas & Corinthum clarissimas vrbes quis demolit<sup>o</sup> est, nisi Turcus? Epirus Pyrrhi genitrix cui paret nisi Turco? quis omnibus maris Aegei insulis imperat, nisi Turcus? Macedonia, Thracia, Bulgaria, Seruia, Bosna & jam bona Hungariæ pars quem dominum agnoscit, nisi Turcum? Illi neque noua Roma ac alter Romani imperij ocellus Byzantium in expugnabile: neque aliquoties frustra oppugnatum Belgradum satis munitum: neque maris mediterranei Domina sæpius tentata Rhodus fuit inuicta. Scitis hec, Germani, neque opus est propemodum ea verbis efferre, quæ omnium oculis exposita sunt. Itaque eò jam hostis vestri potentia peruenit, vt quem olim Sarraceni, Persæ, Tartari, Christiani, singuli contemnebant: ille jam omnibus sit metuendus: & quem singuli prouocare audebant, ille jam omnes simul laceffat. Veruntamen in nos præcipuè jam aliquod annis vires suas & furorem effudit: in nos maxime seuit, quicumque Christi nomine & religione gaudemus. Nobis infestissimus est: nobis ab illo periculum imminet: nostræ vitæ & libertati insidiatur: nostram religionem extirpare nititur. Inter quos cum Germani, primi & ad primum impetum objecti sitis: omnium maximè vestram salutem in discrimen venire intelligitis. Etenim quod Caligulæ olim votum erat, unam ceruicem Populo Romano optantis, vt eam uno ictu sibi præcidere liceret: annè Solymannum illum, quinque expeditiones in Hungariam & Austriam susipientem, annè Selynum istius filium, Amurathem nepotem, Mahometem, qui nuper rerum potitus est, pronepotem, idem unice de Christianis exoptare dubitatis? Iam cum & tantum virium & tot regiones nobis adhuc supersint, ut hoc illi non liceat: pedetentim carpit, quod uno fluctu obru-



AD GERMANOS

obruere, uno ictu præcidere non potest. Fuiſſenè olim putatis, cum prædatoria illa turba ultra Hellespontum in Asia adhuc ſe continebat, qui illam Byzantio aliquando potituram exiſtimaret? potita eſt. Qui ad Italiae litora maximos exercitus ducturam & Hydruntum expugnaturam putaret? duxit, oppugnavit, cepit. Qui Rhodum, Belgradum, Albam regalem, Budam, Iaurinum occupaturam vereretur? occupavit. Qui Vienna obſidionem metueret? obſedit. Quod ſi jam è tumulo & cruentis illis cineribus excitatus reviviſceret Conſtantine Paleologus poſtremus Orientis imperator: obſtupeſceret profecto & miraretur, qui à nobis admiſſum eſſet, ut quemadmodum ad ſubigendum Orientis imperium nihil defuit Turcæ olim præter Conſtantinopolis expugnationem, ita jam ad Occidentis oppreſſionem nihil ferè maximopere obſtet, præter vnica Viennae mœnia. Ille verò flens in Conſtantinopolin illam, jam non ſuam, digitum intenderet? ille detractâ ſibi coronam: ille vulnera: ille amputatas nares: ille reſectas aures oſtendat: ille nos per Chriſti, in quo uno ſalus noſtra fixa eſt, gloriam, per ſalutem noſtram, per imperij & libertatis amorem obteſtaretur, ut ad ſe reſpiceremus, ut ſimilem fortunam metueremus, ut antequam exitium noſtrum matureſceret, occurreremus: Expergiſcimini aliquando Germani? Sapientis eſſe aiunt, ex alieno exemplū capere, quid ſibi ex uſu fiet: poſt damnum verò ſapere, miſerorum eſt. Quod illuſtrius & certius exemplum capietis quid vobis cavendum ſit, quàm victi & deleti Byzantini & Trapezuntini imperij? ſubactæ Græciæ? oppreſſæ Epiri? ſervientis Macedoniae? extirpati Serviae Despotæ? occupatae Boſnae? attrita & afflicta Hungariae? obſeſſæ jam ſemel atq; iterum Vienna; Non jam ex longinquo expeditionis fama ad vos perfertur: non vicini tantum veſtri periclitantur. In viſcera veſtra hæc peſtis graſſabitur: iam hoſtilium caſtrorū ignes ex propinquo collucere: jam gladios micare nudos & in cervices ac capita veſtra ſtringi videbitis. Quid enim aliud



CLASSICVM

aliud jam dudum sibi volunt? quid petit ille hostilis mucro, nisi sanguinis vestri profusionē, libertatis Germaniæ oppressionem, religionis Christianæ internecionem.

Neq; solummodo hanc periculi propositi hostiumq; propinquitatem, voluntatis crudelitatisq; ipsorum & regnandi libidinis, qua omnia concupiverunt: sed & potentia, quâ omnia concupita adipiscuntur certissimum statuere esse argumentum. Credite, Germani, cum eo hoste manus vobis conferendos esse qui non odio vestri infestiore ardeat, deletosq; magis vos velit, quàm possit delere, nisi maturè resistatis. Non audio illorum clamores, qui Turcæ potentiam verbis minuunt: non placent mihi illi colores & λήνητες, quibus fortitudinem illis & belli peritiam detrahunt: cum illos clumbes, effœminatos, Asiaticos & imbelles nominant. Etenim quid rationib? opus est, ubi rerū testimonia adsunt? imbellisnè & effœminatus sit, qui ex tantis angustijs tam potens euasit? tot viros domuit? tot munitissimas urbes cepit? tot regiones & regna subegit? qui victorijs suis orbē terrarum peragravit? cuius improbos regnandi conatus nemo propemodum hæcenus comprimere potuit? Sive virtus illa sit: sive fatalis fortuna: sive libidinis successus: imbellitas profecto non est. Neq; si id statuere volumus quod in re est, mirabile debet videri hoc illius rerum & potentia incrementum, tantiq; fortunæ successus? Etenim cui obscurum est, in ea arte unūquemq; maxime excellere & dominari, cui vnice deditus est, quamq; præ reliquis exercet? Quod si etiam in ludicris rebus, ut quam dexterrimè talos jacias, vel ad scopum jaculeris, perfectionem doctrina & exercitatio parit, quid in maxima bellandi arte, quâ nullam potiore Turcæ habent? in quâ certus magnusq; adeo numerus quotidie exercetur? quamquè illi potentia suæ stabiliendæ & augendæ comparandorumq; regnorum instrumentum habent certissimum? Hac arte & armorum industria se extulerunt: illâ tot regna ditionis suæ effecerunt: illâ imperij



AD GERMANOS.

imperij sui fines proferre nondum desinunt. Est quidem illa natio literis atque humanitate inculta: sed ferox & truculenta: quoque magis sapientiæ & literarum ornamenta aspernatur: eo armorum atque belli officinam excolit studiosius: Non excuso cætera gentis immania flagitia, quæ cum turpissima factu sunt, tum ne dici quidem honestè possunt: non laudo religionis nefariæ atque abominandæ dogmata: vitam omni proborum genere coopertam: corpora stupris contaminata: conscientias omni cupiditatum & scelerum genere constrictas. Verùm militiæ præstantiam, quam qui coràm interfuerunt, illis tribuunt, derogare non debeo: illisquæ potius assentior, qui armorum scientiâ illos cum quavis gente hoc sæculo contendere posse arbitrantur, quàm alijs, qui eos contemnunt. Non dicam illud, quod conjectura facilè assequi possis, non minus virorum feracem Asiam esse, quàm Europam, interque imbelles & timidos, etiam fortes & magnanimos ibi nasci: neque nos solum ab Asiano, verum etiam ab Europæo milite oppugnari. non illud clarissimum Ianizerorum agmen, quorum multitudine justus exercitus magnitudinem constituit, non ultra centum millia equitum sub Beglerbegis & Sangiacis in præfecturas distributa & perpetuis stipendijs semper ad arma expedita. Quorum tum peditum tum equitum robore Turcici imperij moles & potentia non secus nititur atque continetur, quam olim Romanum perpetuo legionum subsidio. Illud saltem invictum belli & imperij firmamentum, quod in militari disciplina positum est, silentio transire non possum. Omnia in illis exoptata, penè dixerim perfecta sunt, quæ militarem disciplinam laudabilem efficiunt: in ipso imperatore summa in omnes vitæ omniumque rerum potestas & autoritas incredibilis: in ducibus singularis erga imperatorem reverentia: in militibus exactissima obedientia. Homericum illud Axioma,

οὐκ ἄγαθον πολυκοίρανισ, εἰς κοίρας ἕνα

B

si in



CLASSICVM

si in ullo imperio expressum, in Turcico ad vivum depictum videas. Vnum illum Dominum observant: unum metuunt: uni omnibus in rebus obtemperant. Quid dicam de proletarijs militibus nihil peccantibus? magni Duces, si minimum delictum commiserint, aut in suspicionem aliquam inciderint, misso ad se lictori cum mandato ceruicem porrigunt. O acerbum quidē, sed Adamantinum imperium; in quo satis causæ ad mortem est, regem ita uelle: beateq; se mori putant, qui ad regis nutum vitam deponunt. Scipio ille Africanus idem olim de suis militibus gloriatus dicitur, ne quod obstinatae obedientiae est, id Tyrannidem voces. & sit sanè conjunctum cum Tyrannide: nihil tamē hoc genere in bello utilius. Quantum enim ad victoriam momentum afferre existimatis, tam obediētes domi ciues & in castris habere milites, tantoq; supplicij metu & imperatoris reuerentia in officio contineri? Itaque aut raræ aut nullæ in Turcarum castris seditiones oriuntur, quod seditio existere nulla possit, ubi licentia abest, ubi quisque in suo se officio continet, ubi omnes unum metuunt, ubi si quid delictum sit, statim cuneos & gladios & secures expediri vident. In defendendis verò propugnaculis, in urbium oppugnationibus, in prælio demum atque acie, quantam illorum constantiam, fidem, pertinaciam esse arbitramini, non solum voluntati imperatoris vitam suam postponentium, verum etiam in opinione illâ de fatali mortis horâ cui libet jam inde à cunabulis fixa & cōstituta versantium? Hæret enim & fixa atque impressa est natura, consuetudine majorum & lege hæc opinio in mentibus illorum, ex quo natus quis est certum eidem esse definitumque à Deo immortalis vitæ terminum, quem transire nullo modo possit, siue domi incubili dormiat, siue inter hostium tela versetur? Sin mortis illa hora nondum advenerit, vitam sibi eripi non posse, etiam si strictis mucronibus confertissimi hostium cunei circumstent. Hac opinione & fiducia animati prælio se accingunt: & fortissime di-



AD GERMANOS

mè dimicantes mortem citius opperunt, quàm fugiant. Quamvis tamen & fugere illos & vinci posse jam aliquoties comper- tum sit. Quid quod hic quoque in illis sit virtutis & rei benè gerendæ stimulus, quod apud eos neque natalibus, neque generis splendori locus sit ad honores assequendos, sed uni virtu- ti? Nam ne nobiles quidem, quales nos, ullos inter suos agno- scunt. Generis conditione omnes pares officiorum solum- modo gradibus & dignitate distinguuntur. Ad honores vero & dignitates ascendunt, non qui ex magnis viris nati sunt & ex ijs, qui magnos honores gesserunt, nisi & ipsi parentum splen- dore & loco dignos se gerant: sed qui virtute præstant. virtus autem una militaris & bellica inter illos dominatur. Hac ab in- eunte ætate imbuuntur, hac sese mutuò æmulantur: in hac qui excellunt, reliquis præferuntur & præfecturis præficiuntur. Vnde efficitur, vt sæpe Bassæ fiant, qui principatus & dignita- tis apud illos summus gradus est, nati ex bubulcis. Quid jam dicam de militum assidua in armis institutione, quæ ex impe- ratoris mandato solennis & jam inde ab Amurathe primo Ia- nizerorum autore introducta & conservata est? Puerorum è subditis exactorum quarto quoque anno, apud Ianizeros con- tubernium & in armis ac militari labore, in fame & siti, in æstu & frigore ferendo exercitationem quantos & quàm acres bel- latores gignere existimatis?

Sed quid ago? viresné & potentiam & disciplinam mi- litarem hostium ad eò in cœlum tollo? Imo verò, Germani. Vtrum enim præstare vobis videtur, cum contra leporum exer- citum te aciem instruere putes, subito in leones incidere, aut sævientium urforum faucibus obijci: an cum leoninum exerci- tum prævideris ad congressum animosum & victoriæ spè arma- ri? Facestant illæ voces hostium vires contemnentium, nostras nimium extollentium. Quid & olim & nunc perdidit magnos  
B 2 duces,



CLASSICVM

duces, nisi securitas & adversarij contemptus? Hæc Pompeium pessundedit: hæc Darium: hæc Xerxen. Utinam ne vos quoq;, Germani. Præstat certè malè ominari & benè rem gerere, quàm cum benè ominatus sis, turpiter te dare. Non hostium numerus & potentia celebratur, ut desperetis, sed ut eò paratiores & acriores ijs occurratis. Imperatos enim & securos etiam pauci interdum oppresserint: parati verò & animosi vel multos devicerint. Quod si tanta esset hostium potentia, quæ frangi & debilitari vix posset, fatius tamen esset, eam à vobis non ignorari. Cognita enim hanc opinionem animis vestris imprimet, aut vincendum esse aut moriendum cumque nisi vincas moriendum sit, ad victoriam omni animi vigore & manuum atque armorum jactatione esse grassandum. Eo enim animo aggredi hoc prælium vos oportebit: ut inter victoriam & mortem nihil medium reportetis. Ita moriendi proposita conditio & elabendi turpitudine & servitutis fuga victoriæ fient administræ. Ignorata verò eadem cum in victoris manus vos dederit, aut in mortem, aut in turpissimam servitutem conijciet. Quapropter fortissimi Germani, hoc cum intelligitis, quod cum hostem habeatis, qui & capitali vestri odio flagret perditosque & deletos vos velit, nomenque & libertatem vestram extinctam & extirpatam cupiat & ut hoc assequi possit, tantum virium & roboris habeat, quantum tot annorum latrocinium, tot subactæ provinciæ, tot in armis educatæ & exercitatæ legiones parere possunt, quo tandem animo esse debetis?

Hic antequam causas vobis ob oculos ponam belli decernendi fortiterque gerendi: descendendum mihi est ad gravissimam quærelam & antè ad arma abijcienda mihi adhortandi estis, quàm sumenda. Parum enim in armis adversus hostem sumptis præsidij est, nisi domi pacata sint omnia. Sint sanè & alia vulnera domestica, quæ sananda sint, si benè rem gerere vultis: hoc verò longè maximum & pestilentissimum est, cui  
nisi



AD GERMANOS.

nisi medicinam adhibeatis, hosti tam potenti resistere non poteritis. Neque obscurum est, hac discordiæ & civilium armorum peste non solum aliquantò antè Germanos, sed vos, quotcunq; propemodum Christiani estis, correptos esse & tantum non contabuisse. Quando enim ferè à tot annis à civilibus armis discessum est? quoties cumulatis cadaverum acervis & sanguinis flumine agri inundarunt? Sensere hoc Galli, Hispani, Belgæ: & vos Germani, si jam non armis strictis, certè odijs & simulatibus prope ad arma dimicatis, neque de jurisdictione neque de religione decertare & conflictari desinitis. Hæc flamma sopienda est & aut extinguenda penitus aut comprimenda certè, donec externus ignis deflagret. Quomodo enim communibus auspicijs militare, quomodo communia vexilla gerere, quomodo unam aciem ingredi, quomodo unum hostem communibus armis profligare potestis, si ipsi vobiscum pugnatis? Si Germani, si vos reliqui Christiani estis: cur non fraterno amore vos amplectimini? si unius capitis Christi membra, cur vos invicem discerpitis? Manus vestræ & pedes & minutissimi articuli concordiam vos doceant. Quando unquam bella isti artus vestri inter se gesserunt? quando non cõmunis omnium salus singulis proposita fuit? Imò cur omnia ferè gemina vobis natura tribuit, binas manus, binos oculos, binos pedes, binas aures, nisi, ut mutuam sibi opem ferant? Naturam igitur, imò Deum ducem sequimini. Quanta est constantia motuum cœlestium, qui cum innumeri penè & tam varij sint: quàm nihil in illis discrepantiæ, nihil offensionis, nihil inæqualitatis oritur? quin cœlo, unde ortum ducitis, conformes vos gerite. Detestabile me hercule & abominandum malum Discordia: qua nihil homini, nihil familiæ, nihil domesticæ disciplinæ, nihil urbibus, nihil provincijs, nihil regnis integris perniciosius potest excogitari. Quis non detestatur eum hominem qui secum ipse pugnat? qui in nullo vitæ statu constans manet? sed



CLASSICVM

hinc inde procellarum & turbinum instar fluctuat? Qui à se ipso discordat & dissentit? In familiâ & domesticâ gubernatione, si servus Domino adversetur, si ipsi conjuges perpetuâ voluntatū acerbitate disideant, liberi sibi insipientur, domusq; adeò litigijs & jurgijs conflictetur, quid eâ domo aut familiâ infelicitus est, aut qui non ibi perpetuis sollicitudinum & perturbationum ac lachrymarum penè fluctibus omnia redundant? in urbibus: in provincijs: in integris regnis, ad perniciem & exitium nulla propior via est, quam discordia, seditio, bellum civile. Hostibus externis possis interdum resistere: at quî illam pestem effugias, quæ intus in venis atq; visceribus inclusa est? Adeoq; ut Herodotus dixit, quantò bellum pace deterius: tantò ipso bello discordia & bellum civile. Quæ igitur amentia est, ô Germani, imo ô Christiani principes, quod nihil vos hæcenus movit aut præceptoris vestri Christi autoritas & mādatum? aut illa quæ cum eò vobis intercedere debet, conformitas? aut quæ ex concordia percipetis, emolumenta? aut quæ ex concertationibus & diffidijs damna & calamitates? Gladios in corpora vestra & cervices stringitis: vires vestras enervatis: subditos exactioibus expilatis: agros & facultates, domos atq; urbes vestras mutuo evertitis: hosti verò communi interim vos deridendos & deglutendos propinatis. Et quidnam illud est, de quo adeò digladiamini? Angulus sæpenumero, qui vicinum agellum denormat, ut ait Satyricus, aut jurisdictionis gloriola aut paulò durius cōvicium. Quod si quam augustiorem corollam pugnis vestris suspenditis: religionem nominatis. O infausta illa religio, quæ nihil nisi bella parit? ô irreligiosa de religione bella, quæ dum religionem se tueri simulant, eandem extirpant? O exitiabile & cruentum vexillum, quod in hanc Cadmeam pugnam defertur? Atque utinam vel illa Helena esset, de qua adeò decertatis: Nunc speciem quidem illam prætenditis: at animi vestri longè aliud respiciūt. Religionem nominatis? re ipsa pro regno, pro ambitione, pro gloria



AD GERMANOS

gloria & facultatibus vestris decertatis. Quod Romanis ducibus Reipub. nomen erat, idem vobis religionis. Respublica illud Augustum nomen fuit, de qua Cæsar & Pompejus infestis aciebus concurrebant. Quid verò uterq; spectabat, quid quærebat, quid tuebatur, nisi gloriam, nisi potentiam, nisi dominatum suum? Ità dum Respub. in cōcertationem veniebat, eadem periclitabatur: dum defendebatur, interibat. Eandem fabulam agitis, Christiani. Quod si seriò religionis & divini cultus defensionem & propagationem suscipitis, cur non eam viam ingredi mini, quam Christus vobis monstravit? cur non gladium illum sanguine fraterno stillantem reconditis? cur non mutuo dilectionis vinculo vos astringitis? Ad eam animorum conjunctionem cum sola professio & nominis vestri recordatio vos stimulare debebat, quid, annè periculi metus & impèdens calamitas vos excitabit? Aspiciate quæso & memoria repetite non tam maiorum nostrorum, quàm omnium penè summorum regnorum aut potentum civitatum incrementa & decrementa, ortus imperiorum & interitus. Concordiã ex angustijs crevisse: discordiã corruisse intelligitis. Athenienses. Thebanos, Lacedæmonios, totam Græciam, quid contra externos hostes defendit? Concordia. Quid pessundedit? Discordia. Quæ Xerxi copijs innumeralibus adventanti & irruenti inexpugnabilis erat: non erat inexpugnabilis Philippo longè minori manu arma ad singulas civitates circumferenti. Macedones Alexandro duce totum penè orbem terrarum victorijs suis perlustratum subegerunt, dum uni parebant: eundem in multa imperia & dominos distracti, citius penè, quam occupatus erat, amiserunt. Quid Trojanam obsidionem in decimum annum distulit, nisi Achilles & Agamemnonis odia? unde & sapientissimus Nestor illum hisce versibus detestatur:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέσχιος ἐστὶν ἠκείνοσσι  
 ὅσα πόλεμος ἐράται ἐπιδημῶν ὀκνηρόεντοσσι.

Quid



CLASSICVM

Quid Romanum imperium ad tantam molem & fastigium e-  
 ductum primùm fregit & labefactavit, quàm Iulij & magni illa  
 funesta æmulatio? quid Turcas ante aliquot secula Persiæ do-  
 minos fecerat, nisi Caliphæ Babylonici Saracenorum Domini  
 cum Soldanis intestina bella? quis multò post eosdem Persiã  
 rursus eiecit, nisi Tartari, arreptâ intestinorum inter Turcas  
 dissidiorum occasione? quid deinde Ottomanicæ huius fami-  
 liæ potentiam ex minoris Asiæ latebris in omnes partes orbis  
 tam latè propagavit, quàm vicinorum regulorum inter se dis-  
 sensiones? Tam latè in Europam certè non irruisset; nisi Con-  
 stanstinopolin antè cepisset. Quid verò ad Constantinopolin  
 capiendum ei fenestram aperuit: nisi Latinorum cum Græcis  
 infida ex religionis dissidijs amicitia & intermissa subsidiorum  
 maturatio? Quin igitur, ô Christiani principes, jam non so-  
 lum aliorum damno, sed proprio tandem sapitis? quin gladium  
 illum, quem contra vos mutuò vibratis, paulum deponitis? vel  
 à vobis declinatum in crudelissimum hostem vertitis? Roma-  
 nos legimus annis primis ab urbe condita, antequam planè in  
 imperio coaluissent & nervos duxissent, etsi sæpe intra urbem  
 plebs à senatu dissideret, magnæque contentiones existerent:  
 tamen ingruente externo periculo posthabitâ civili dissensione  
 conjunctis armis in hostem ivisse: Aristidem atque Themisto-  
 clem, quanquam diversa in Rep. studia sectarentur & mutuis  
 odijs arderent: tamen legationes aut alia publica munera si-  
 mul obeuntes omnem simultatem interim & vindictæ studiũ  
 abjecisse. Quin saltem id agitis, Christiani, si penitus abolere &  
 tollere odia illa vestra, quæ ipsis medullis insederunt, non po-  
 testis: vel Romanos, vel Græcos illos Aristiden atque Themi-  
 stoclem imitamini: residiat & sopiatur paulisper iracundiæ af-  
 fectus: quiescant interim & consulescant civilia arma, dum ho-  
 stem communem repellatis. Sint magnæ vires Turcarum, ut  
 equidem sunt: sit ingens multitudo: si vniversi vires vestras  
 conjun-



AD GERMANOS

conjugitis, si huic sanctæ militiæ nomina datis, qui Christi sacris uniti estis, non solum pares illis eritis, sed superiores: neque facile solum illis resistetis, sed provincijs occupatis eijcietis. Quin igitur iam exuitis illa arma civilia vos Galli & Hispani? quin conquiescat non nihil à tumultibus & direptionibus turbulentum Belgium? quin Nympha illa Britannica tam necessarij & sanctissimi belli societatem Neptunio illo tridente & auxiliari classe juvet potius quàm interrumpat? Quin Poloni mittite Tartaros, mittite inauspicatas cum Turcis confœderationes. Huic fœderi, huic societati, huic bello Christiano, quoniam Christianos vos profitemini, subscribite. Hungaris Germani: Germanis reliquæ nationes suppetias ferte. Fratrum concordiam esse munimētum quo vis muro firmius Antisthenes dixit: hunc fœderis & concordia Adamantinum murum, quæ Turcarum vires, quæ exercituum innumeræ copiæ, quæ crudelitas & Tyrannis expugnare poterit? Vincetis, prosterne- tis, eijcietis omnia, si unanimes eritis. Commune vestrum periculum est. Hungaria quidem jam diuturno bello ardet & penè paulatim & conflagravit: sed fumus molestus est toti Germaniæ. mox ardente Germaniâ quid dubitatis, quin & fumus ad vos se effusus sit, & mox ipsa flamma?

Sed redeo ad Germanos. Vestra enim in primis hîc causa agitur. Vestrum hoc bellum, vester hostis est. Non solum vobis infestissimus: sed & proximus est. Cogitat ille quidem reliquos quoque paulatim decerpere, sed vos primùm deglutire cupit. Vestrum est anniti atq; efficere, ut quispe & cupiditate jam penè faucibus vos complexus est, & tantum non devoravit; ille hoc infelici bolo nauseare incipiat & tandem suffocetur.

At cum multa sint, quæ vos ad hoc bellum suscipiendum excitare debent, tum non in minimis hoc collocabitis, quod Germani estis. Cæsar olim cum Dyrrachio Brundusium trajiceret ac jactata fluctibus navis penè mergeretur, ad nautam tre-

C  
pidantem



CLASSICVM

pidantem & regredi volentē conuersus. Cæsarem, inquit vehis. Tātum in una nominis sui autoritate ponebat: quo minus fortunæ vim, ac fluctuum & maris tempestatem sibi pertimescendā putaret. Quid, vos cum Germanos vos esse cogitatis, an nō ad bellum gerendum, ad defensionem salutis vestræ suscipiendam, ad ulciscēdas atrocissimas iniurias, ad vetustam fortitudinis gloriam vindicādā & tuendam vel ipso nomine Germaniæ & majorum vestrorum recordatione extimulari & incendi debetis? Recordamini, quas res maiores vestri gesserint, non tam pro vitâ suâ tuendâ: quam pro amplificandis opum suarum facultatibus & gloriâ belli reportandâ. Nō illi solum hostes externos facilè à suis finibus depulerunt: sed alios reges laceßere ausi sunt: neq; tam istis vicinorum potentia: quàm vicinis illorum virtus formidabilis fuit & suspecta. Etenim quando unquam accepimus post hominum memoriam eò fortunæ Germanos pervenisse, quò Græci, Persæ & cæteræ gentes ferè omnes pervenerūt, ut alieno domino parerent? Quotusquisq; ex potentissimis orbis terrarum Monarchis inventus est, qui iniicere tentarit, aut quis reperiri potest externus Dominus, qui injecerit frenū Germanis? Babylonios & Chaldeos Medi: Medos Persæ: Persas Macedones domuerunt: Græcia Macedoni: mox Romano: nunc Turcæ servit. Turca ipse Tattaris aliquando cessit. Quis unquā domuit? quis in ordinem redegit? quis sibi cedere coegit Germanos? Respicite annales majorum vestrorum: historiarū & bellorum memoriam repetite ultimam: à multis regibus intactos: ab omnibus invictos majores vestros reperietis. Darius & Cyrus Persarum reges Danubium transire ausi sunt: Germanos attingere non sunt ausi. Alexander ille Macedo, in quo celeritas belli gerēdi cum vincendi felicitate certavit, cum Macedonicâ illâ suâ phalange & fatali gladio fulminis & tēpestatis instar penè omnes terras & regiones pervasisset: in nostris finib<sup>9</sup> cursum illum victoriarum repressit: citra Danubium substitit Germaniā  
 non



AD GERMANOS.

Non tentavit. Cæsar autem ille Alexandri æmulus Gallos quidem diuturno bello subegit: Germanos frustra, ac ne vix quidem tentavit. quid quod de illius militibus proditum est, plerisque non antè Rhenum transiisse, quàm testamenta fecissent? quantus metus in illis & Germanorum veneratio fuit, qui ad eos tendebant, à quibus morte reditum sibi præclusum vererentur? Quid Octavio Augusto, quis maiores clades intulit quàm Germani? quis illos gemitus, quis barbæ, capilliq; summissionem? quis lachrymas & flebiles illas voces: *Quintili redde legiones*, extorsit nisi Herminius Germanus dux Cheruscorum? Non Tiberius, non Claudius non Caligula Germanos perdomuere: titulum tamè à tentata & oppugnata Germania sibi arrogavere & hi & nonnulli ex illorum posteris. Vnde perspicitis, quanta in laude posituri fuissent, gentem vestram devicisse, qui propè in triumpho collocarunt, eam bello tentasse? Non Gothos dicam, non Vandalos ex Germania in Italiam, Galliam, Hispaniam irruentes & regna ibi occupantes: non fœminas Germanas tanquam Lacænas aliquas aut Threissas, aut potius Amazonas, arreptis armis virorum aciem labantem sæpe interventu suo restituisse: non armorum aliquot genera apud Germanos reperta, non illud imprimis nocentissimum teli genus, quo ex longinquo hostem petere & summovere possis. Multa alia præterea, ex quibus apparet, tum animi magnitudine, tum bellandi consuetudine, tum armorum amore nullam propemodum gentem olim majoribus vestris præstitisse. Quod si turpe est generosi patris filio à parentis virtute deflectere: quanto majorem turpitudinis notã integræ vestræ nationi inuretis, nisi maiorum exemplo vos acui & ad libertatem vindicandam accendi sinetis? Atq; si illi ultrò ad colonias deducēdas in aliena regna profecti neq; à Romanis rerum Dominis se vinci passi sunt: vos bello appetiti & libertate atque vita vestra ab crudelissima Turcarum

C ij                    gente



CLASSICVM

gente in certamen & discrimen vocata non ad armæ convolabitis? non ad vindictam & assertionem prisce illius laudis omnibus viribus annitemini?

Iam quantum in illo esse debet momenti ad animos vestros inflammandos, quod ad vos vltimi illius inter quatuor summi imperij honor & insignia delata sunt? quod Romanorum fascibus & gemina illa Aquila superbitis? quod sanctissimum Danielis vaticinium vestro regno eundem cum orbe terminum definit? Non vos ea conditione Romani imperij membra estis, qua olim provinciæ: sed quæ dignitas tum Romanis manibus inclusa erat, ea ad vos se transtulit: cumque Romani provincijs imperarint: Vos ipsi Romæ atque Italiæ jura aliquoties dedistis: quodq; principatus nomen à primo Romano Cæsare in posteros fluxit: jam per septingentos annos in vestris imperatoribus resedit. Quis enim vestrum ignorat, jam inde ab illis temporibus, quibus Carolus Magnus dispersa & convulsa imperij Occidentis membra tanquam naufragæ ratis tabulas magna virtute & ardore in unum corpus coagmentavit: illam dignitatem nunquam vobis creptam interrupta seriè vestram fuisse? neque tamen unius stirpis, sed penè omnium clarissimarum Germaniæ familiarum, quæ principatus insignibus lucent & illustri loco positiæ sunt? Verè itaque, Germani principes, cum unum imperatorem habeatis, quem Romanum vocatis, hoc honore omnes gloriari potestis: cum & ferè quilibet vestrum ex majoribus suis aliquem imperatorem Romanum habuerit: & ex posteris sese habiturum sperare possit. Quis verò dubitet, vestrum omnium honorem peti, cum caput petitur: & à vobis requiri, ut quo honore omnes fruimini, eius tuendi periculum cōmune simul subeatis? Si vultis aspiciate paulisper vel duo clarissima illa Græciæ lumina, Athenas & Lacedæmonem, vel potentissimas istas, alteram Italiæ, alteram Africae, urbes, Romam & Carthaginem, quantæ inter illas æmulationes, quam



AD GERMANOS

quam diuturna & cruenta bella gesta sunt, in quibus hoc unum agebatur, ultra alteri imperaret? Tria illa Punica bella meministis: Hannibalem vastitatem & exitium Italiae inferentem legitis: cruore Romano asperfas Cannas fluentem Thrasimenum lacum: & incineres tandem redactam Carthaginem videtis. Quae cura gerebantur, quid aliud quaerebatur, quam dominatus & imperij dignitas? unde illa miserabilis & abjecta Hannibalis apud Poetam querela:

*Carthagini iam non ego nuncios  
Mittam superbos: occidit, occidit  
Spes omnis & fortuna nostrae  
Nominis, Asdrubale interempto.*

Quam dignitatem cum à Romanis ad vos Deus tandem transfulerit, pro qua illi toties dimicarunt, quamque vitae suae postposuerunt: eam vobis divinitus collatam ignavia vestra an crudelissimo hosti prodetis & conculcandam obijcietis? Quod si dicetis, divinitus vobis confirmatum esse hoc imperium, quod non ante ultimam corruentis mundi conflagrationem periturum sit, sanctissimo Daniele teste: elaborandum equidem vobis est, quod beneficium in vos coelitus fuit collatum, ne illud culpam vestram amittatis. Iudaeorum olim eadem vox erat, Templum, templum, ut cum divina lingua loquar, clamantium. quam in spe & pertinaciam dum perseverabant, neque unquam suae gentis & Reip. interuersionem metuebant: funditus deleti sunt. Nolo id de vobis ominari: neque possum equidem, qui ipsae sacrae illi voci, quae ex Danielis ore spiritus S. instinctu prolata est, subscribam: sed tamen si sedendo & votis debellare & alterum aspectando atque unam diem, ut in proverbio est, ex alia deducendo vincere vos posse existimatis, videte, ne in discrimen aut amittendae aut magis magisque attenuandae, quam hactenus tenuistis, Monarchiae veniatis.

Quis verò vestrum non intelligit, fortissimi Germani, cō

C 3 acrius



CLASSICVM

acrius pro hac gloria vobis dimicandum esse, quo propius periculum est, ne eripiat. Pueros videmus tum maximè trepidare in tempestate tonitruum, cum jam in propinquo fulgurum flammæ collucet & fulminum tremore aures colliduntur & vici stagnantibus pluuiarum aquis inundant. at adulti futuram tempestatem colligunt, quanquam ex longinquo cogi nubes aut ab vltimo Horizonte stricturas flammaram emicare & obscura tonitruum murmura animaduertant. Itaq; in tuta & sub tecta se recipiunt, antequam irruente tempestatis vi obruantur. Consultiusne vobis videtur hosce adultos & prudentes imitari, quàm pueros illos? Intuemini domi, & in ciuitatib. vestris, quot & quàm salubria remedia incēdijs opprimendis aut à vicinitate auertendis comparaueritis: maturos vigilum cantus & indicia: tot scalas in promptu positas: tot situlas è corio confectas & uncos ferreos reconditorijs publicis inclusos: bajulorū opem ad id unicè destinatā. Quod in priuato domus aut vici alicuius incendio faciendū putatis, ut multò antè periculo occurratis, aut, si irruerit, ad extinguendū concurratis omnemq; opem afferatis, ne serpat latius: id in communi patriæ vestræ incendio facere superfedebitis? Vndosa stagna & maxima flumina accolæ alveo & metis suis coercent, non modò anteriori litorum parte cratibus & cespitibus munita sed ad posticam quoq; ingenti terræ mole aggesta quotannis: quorum vis & eluuius si semel eruperit, reprimere illam & in alveum revocare frustra annitantur. Quod illi in undarum eluuiæ & agrorum custodia metuunt & cauent: vos in tanti & tam vicini hostis impressione & patriæ custodia non metuetis & cauebitis? Atq; utinam tam procul à vobis hostis vester abesset, quàm fulmina pueri ab esse existimant: & vicinia solummodo, & nondum vestra domicilia atq; lares arderent, & irruptionis metus tantum impenderet, non præsens periculum? Iam vero hostem vestrum in limine Germaniæ scyientem: tectis vestris incendium: urbibus excidium: delubris



AD GERMANOS!

delubris atq; altaribus profanationem: bonis atque facultati-  
bus direptionem: sacris atque religioni extremam perniciem:  
toti adeò Germaniæ, carissimæ patriæ vestræ, vastitatem atque  
interitum extremum minantem & modò non inferentem vi-  
detis. Cum ille de Moldavia cum Tartaro & Polono pacisci-  
tur: cum Valachiam invadit; cum Transylvaniam oppugnat;  
cum Hungariæ castella occupat; agros diripit: homines captos  
abducit: cum in Austriam & Carniolam impressionem facit:  
utrum tantùm socios & finitimos vestros an potius vos ipsos in  
discrimen deduci sentitis? Quod si Hungarorum solummodò  
res ageretur, qui jam tot annos huic tempestati & crudelissimi  
hostis insultibus propemodum soli restiterunt, quique laterum  
suorum oppositus pro Germania objecerunt & adhuc quamvis  
valde attriti & exhausti, tamen irruptiones hostium sævissimo-  
rum sustinent & à Germania hætenus intercludunt: aut si Tran-  
sylvaniæ princeps modo periclitaretur, qui in hoc bello superio-  
ri biennio tot egregia fortitudinis specimina edidit: tamen vi-  
cinis socijsque vestris periclitantibus & opem ac subsidium no-  
strum implorantibus deesse non deberemus. Iam cum illi &  
societate nobiscum conjuncti; & regno uniti; & ad imperij no-  
stri membra aggregati & principis Germaniæ supremi Vasalli  
sint: membra corporis nostri ægrota deseremus, aut à corpore  
nostro abscindi impunè & per ignaviam nostram sinemus? præ-  
sertim cum non solum illis amissis & abscissis pestifera illa graf-  
fatio in viscera nostra eruptura sit. Sed jam direptis aliquoties  
Austriæ finibus vexata Carniola, amissò Iaurino, Viennâ antè  
aliquoties obsessâ, ad nos penetrarit? Nisi fortasse quidam ve-  
strum, qui paulò longiùs ab Hungariæ finibus confederunt,  
hoc solatio animi sui sollicitudinem levant, quod futuri sint  
ultimi eorum, qui pereunt, quemadmodum Vlysses Homeri-  
cum Polyphemus ille in specu suo olim consolabatur. qua con-  
solatione quid miserius?

Iam



CLASSICVM

Iam si propinquitas periculi vobis metum non iniicit: ne periculi magnitudo quidem & hostis huius crudelitas vos movebit? Equidem sic existimo & sic omnes propemodum prudentia excellentes judicare intelligo: nullam unquam gentem crudeliorem in victos extitisse: in nullo latrocinio tantum inesse sanguinolentiae: in nulla Tyrannide tantam praedandi & rapinarum violentiam: in nullo lupanari tantum foeditatis: quantum in una Turcarum victoria. Quae de Assyrijs, Persis, Graecis & Romanis prodita sunt: lecta vobis & memoria repetita sunt. Mitem illorum & moderatam saevitiam dixeritis; si cum hac comparaveritis. Alexandrum meministis tanta clementia & animi moderatione extitisse, ut Poro regi coronam abjectam rursus imponeret, cum iste rege dignum munus ab illo petiivisset: quid hunc parricidam facturum putatis, si aliquando imperatorem vestrum, quod Deus clementer avertat, regno exueret, qui tot fratres suos ferro trucidavit, ut solus regnaret? cuius majores ferè omnes fraterno sanguine impias manus consperserunt? inter quos ne paterno quidem filij, filiorum jugulo patres abstinuerunt? quorum non nemo, ut ne in somno quidem parricidij crudelitatem obliviscerentur, ad lectum versus in tabulâ suspensos habuit, ad fraternam cedem, ad juris, fidei & pietatis neglectiorem, ad omnis religionis & Dei contemptum extimulantes

Atque cum Turcarum gens in omnes, quos superat, saevit: tum in nullos acerbius omnes iracundiae & furoris habenas effundit, quam in Christianos. cumque illis nunquam ferè parcat, tum efferatissimus est in direptionibus atque in ipso insolentis & furentis victoriae articulo. Quis Senacherib ita in Israelitarum urbes grassatus est? Quis Nabuchodonosor ita captivos vexavit: Quis Epiphanes tantam in Iudaeos saevitiam exercuit? quis Herodes tam immaniter vagientes in cunis infantes trucidavit? Oppida equidem ipsa & vici & agri & flumina mihi cohorrescere



AD GERMANOS.

horrescere videtur huius Tyranni violentia & cruenta impressione. vbi ferro & flamma omnia vastantur. villæ & pagæ funestissimis incēdijs ardent. abductis colonis arua squalent. fit vndiq; ex agris fuga & solitudo. homines ipsi miserè contrucidantur. alij in minutissimas particulas conciduntur. alij palis affliguntur. alij equorum vngulis conculcantur. alij fluminibus immerguntur. Quid vrbibus captis aut castellis expugnatis, quo non inhumana & beluina truculentia & foedissima turpitudine progreditur insolētium ac cæde & libidine insanientium. Turcarum? quorum furori neq; viros abjecta arma: neq; mulieris sexus imbecillitas: neq; senes venerabilis canities: neq; infantes miserabilis vagitus: neq; matronas & puellas sexus veneratio, non profusæ lachrymæ, non supplices preces, non Deorum obtestatio eripit? qui filios in conspectu parentum jugulant; matronas aspectantibus maritis inuitas stuprant: puellis flentibus cum pudicitia vitam eripiunt: ipsa altaria sanguine & foedissimis stupris conspurcant: delubris vim & contumeliam inferunt: crucem illam venerabilem, quæ de Christi cruce nos admonet, furioso tactu violant & pedibus obscœnis conculcatam flagitiosissimè obterunt? Experta illa omnia est Constantinopolis: experta Rhodus: expertum Belgradum: ne totas regiones nomen atq; regna. Crudelis Phalaris fuerit: vafer in excogitandis supplicijs Alexander Phereus: immanissimus Antiochus Epiphanes: in Turcas & horum & omnium, qui vnquam fuerunt, Tyrannorum crudelitas: excogitata omnia immanissima supplicia, tanquam in cumulum aliquem congesta videntur. Quid durius & immitius est, quàm oculos effodere videntibus? Turca Seruiæ Despotæ filijs effodit. quid crudelius, quàm nares & aures amputare? Palæologo imperatori vltimo amputauit. quid immanius, quàm cute exuere viuos? Christianos innumeros exuit. quid turpius & sceleratius, quàm pudenda abscindere integra? formosissims Christianorum pueris abscidit.

D

Illud



CLASSICVM

Illud vero unicum mihi reliqua omnia immanitatis genera complexum esse & inauditum quodammodo videtur, quo in oppugnationibus aliquando sæviunt: Homines vivos ex hostibus captos maximis tormentis induunt: eosdemque mox vi pulveris tormentarij excussos & discerptos in aciem aut in muros & propugnacula ejaculantur. O singulare carnificinae prodigium; ô inauditam crudelitatem; ô sceleratos illos parricidas? Nonné hunc hominem, quem ita mactant, planè è naturâ rerum sustulisse videntur? qui ita vivit, dum potest, ut jam sepultus esse videatur, ita animam ex corpore dimittit, ut corpus citius animam deserat: ita sepelitur, ut convulsa & attrita ossa in aëre evanescant: ita deniq; terram attingit, ut nusquam appareat.

Cohorruï equidem vel ipsa scelerum tantorum mentione & propemodum vereor, ne illâ voce, quâ hæc amplexus sum, utar quodammodo immaniore: & vos eorundem metu & sensu non expavesctis? quod si ista vobis placent, si æquo animo ferre potestis jugulatos in cunis infantes, stupratos antè maritorum ora matres, flammam tectus & delubris vestris subjectam, templa & altaria eversa sacra Dei immortalis profanata, vos ipsos inauditis supplicijs ad mortem tortos: quiescite. Sin nemo vestrum est quin turpe sibi existimet, non modo ab hoste illo vinci, sed oppugnari etiam: agite, Germani: illum qui jam aperte Remp. vestram petit, templa Dei immortalis, tecta urbium, vitam omnium vestrum, Germaniam denique universam ad exitium & vastitatem vocat, illum inquam, nefarium hostem profligate, flammam à sanctissimis delubris, vim & scelestissimum contactum à castissimis matronis, districtos gladios à jugulis vestris avertite.

Atqui ô beatos illos (de vobis illud enim non ominabor) quis sub hoc victore Mars evertit & perculit, si vel his, quæ diximus, vel etiam atrociori supplicij genere è vestigio mori liceat.

Sunt



AD GERMANOS

Sunt equidem illa gravissima & acerbissima, sed sunt alia graviora. A mortis enim acerbitate quamvis natura abhorreat: tamen interdum mori optabile est. Illam in tragediâ mulierculam nonnè lamentantem auditis: *Non esse miserum mori, sed hoc esse miserum, non posse mori cum cupias?* Quis enim non vel funestissima morte redimeret libertatis amissionem, dulcissimæ patriæ & amicorum privationem, perpetuam eamque intollerabilem servitutem, fidei veræ jacturam animæ & salutis periculum? Quanto beatiores sunt, quamvis sanè infelices sint, quos subita mors excipit, quàm tot calamitatum inexhausta charybdis? Audivistis jam toties, fortissimi Germani, quin oculis vestris aspexistis, Turcarum lictores sanguine & tabo occisorum oblitos & mangonum illam rapacissimam & pestilentissimam turbam prædas ex vestro agere: juvenes simul & virgines sociorum & cognatorum vestrorum concatenatas abducere: qui equidem inter miserabiles gemitus & lamentationes, oculos sæpe retorqueunt ad patriam suam, ad cognatos, ad lares, ad altaria, à quibus distrahuntur, cum ingenti dolore; & taciti quodammodo vos accusant, quod vestrâ defidiâ in hanc sortem pervenerint; & ut aliquis Deus si ex præsentissimo periculo & durissimis vinculis ἀπο μηχανῆς eripiat, frustra exoptant. Prævident enim jam (neque enim id ipsi vos ignoratis) & sollicitè secum animo metiuntur, quid sit, in manus & vincula hostis venire, barbaræ crudelitatis contumeliæ sese exponere, ea perferre ac perpeti, quæ barbari victoris libido & truculentia statuerit, in perpetuo metu & consternatione vivere, solitudine, situ, paupertate, fame ac siti squalescere, pecorum more beluinis servitij subijci, flagitiosissimè castrari, nefandam Venerem perpeti, ad fidem Christo datam deserendam cogi: & quæ præterea si commemorare vellem, pudori meo propter foeditatem minus consulerem, neque non possem summopere exhorrescere. Quamobrem etiam per multos in ipsam Anatoliam raptos,

D 2

post-



CLASSICVM

postquam illos infamis atq; immanis seruitutis cepit fastidium, macie & squalore confectos audim<sup>9</sup> fugam moliri misero ac seruili habitu ac propemodum nudos, vel grege, quem sectabantur, in solitudine, vel aratro, cui iuncti erant, in agris relicto. qui quidem de die in syluis aut in paludibus aut segetibus se abduunt: noctu fugam ineunt interdum propter metum ferarum arbores proceres conscendunt, & fune ramis alligati vigilant. herbis verò, radicibus & glandibus victitant sale conditis, quem secum ferunt. Ad Hellespontum cum pervenerunt, cassis lignis (securim enim ad eam necessitatem secum apportant) craticulam tumultuario opere conficiunt. inter Seston & Abydon, ubi mare angustissimum est, in Europam trajiciunt. sed maxima illorum pars aut tempestate in mari perit, aut à nautis capitur & ad veteres dominos reducitur. qui evadunt, Polo Arctico duce per sylvas & saltus noctu pergunt, quorum tamen plurimos vel fames vel ferarum dentes interimunt. Qui verò ad dominos retrahuntur ex fuga, atrocissimis supplicijs excruciantur, aut flagellis ad mortem cæsi, aut in spero dissectis pedum plantis sale, aut furca à collo per multos annos suspensa. Proh Deum immortalem, nonné Aegyptiacam seruitutem, exilium Babylonicum, captiuitatem Assyriacam, & Romanorum in seruos imperium, & quocunque inaudita trucidantia, contumelia & foeditatis genere vnquam ab vlla gente in captos sauitum est, id omne vna Christianorum apud Turcas seruitus videtur esse complexa? Quæ cum audiuntur saltem, nemo tam socors & aut sui, aut humanitatis adeò oblitus est, quin vehementissimè commoueatur. Quo equidem magis illa conspecta vel certè audita excitare vos debent, fortissimi Germani, vt ad arma conclamatis, & Turcicam seruitutem à vobis & liberis vestris propulsètis. Etiam si vobis in acie moriendum esset: tamen ô fortunatum illum, quicumq; ex vobis, ne hæc videat & patiatur, vt ait Poëta:

*Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.*

Hic



AD GERMANOS.

Hic verò esse intelligo & semper fuisse nonnullos in magno equidem errore, ne dicam impietate versantes, qui etiam si hæc mancipiorum cruciamenta terribilia esse fateantur minimeq; subeunda: tamen jugum Turcici imperij in illos, qui aut deditioe aut vi subacti plane in potestatem illorum concesserunt, tolerabile esse jactitant. Quorum equidem sententia impia, scelerata ac detestabilis est, vitæ caritatem libertati, salutis, religioni, Dei immortalis gloriæ præponendum. Nam quod cum libertate corporum æquo animo careant, religionis libertatem sibi relinquere dicunt, neque illud ferendum, neque hoc plane verum est. Quæ enim primò in ipsa corporum & bonorum subjectione non inest acerbitas? quanta violentia? Nonne ubi prouincia aliqua à Turcis debellata est, omnia bona, tum ipsi agri & ædificia, quàm ea quæ mobilia dicimus, Turcico Imperatori in prædam cedunt? nonne nobilitatem penitus excindit? clericos aut occidit, aut omni fortuna & dignitate spoliat? reliquis neque publicum aliquod munus subire neque arma gestare, neq; vno cum Turcis vestium cultu indui permittit? nonne Christiani præter capitalem censum, tam fructuū quàm mechanici quæstus non decimas sed quartas, vt in rerum Turcicarum commentarijs scriptum inuenio, quotannis pendunt? & si soluendo non sint, liberos vendere coguntur, aut ad perpetuos carceres damnantur? Et quod illi de religionis libertate sibi somniant, cujusmodi & quàm miserum tandem est cum occupata vrbe aut prouincia templis omnis ornatus detrahitur: omnia instrumenta campanarum & organorum adimuntur: altaria diruuntur: templa ipsa Mahometi continuo consecrantur: Christianis verò vix humillima & obscura quæque sacella relinquuntur. cumque Christo aut Christiano conuitium dicitur, aut contumelia ille aliqua afficitur acerbissima, tacendum & mussandum est: aut si contradixerit, jam culter expeditur, & circumcissione Mahometismo consecratur.

D 3      audimus



CLASSICVM

Quo contemptu nostræ fidei & religionis effectum esse audi-  
 mus; ut Christi memoria in provincijs olim Christianis pau-  
 latim exolescat. Quæ si mitius agerentur, tamen in una illa;  
 liberorum singulis quadriennijs decimatione nimium mali in-  
 esset. Optimos quosque & præstantissima indole filios à com-  
 plexu parentum avelli? à prima ætate in Mahometis institutis  
 educari? eosdem omnium acerrimè Christi nomen & religio-  
 nem oppugnare? ex eo sæpe fieri, ut filij in patrem & patres in  
 filios gladium ignari stringant, cum se mutuo non norint? imò  
 Christiano sanguine gigni, qui Christiani sanguinis profusione  
 Mahometi cultum propagent? Hæc quis non deploret? de-  
 testetur? abominetur? Fruamur ista religionis libertate, si  
 non extrema servitus potius est, quàm libertas: demus victas  
 & ligatas manus: suscipiamus servitutis frenum, si ista perpeti  
 possumus. Estne inter vos, Germani, cui hæc apud animum  
 subire possunt? qui harum rerum cogitatione tacita mentem  
 conscelerare audeat? O cœlum; ô terra; ô maria Neptuni;  
 hæc sanctissima delubra à spurcissimis Turcarum calonibus cõ-  
 taminari: in his templis Mahometo supplices preces fieri: hæc  
 altaria solo æquari: hæc suggesta deiici & conculcari: has Chri-  
 sti & sanctorum imagines & conspicui: ex hoc publico cœtu  
 Christum exterminari sinetis? & Christiano nomine interim  
 abutemini: qui Christi gloriam non vindicatis? Salus vestra  
 per Christum redempta est: vos eam prostituetis? Christus pro  
 vobis mori dignatus est: vos eius neglectione vitam vestram  
 conservabitis? publici ministerij claves vobis tradidit: vos tur-  
 pissima prodicione eas abijcietis? Prohibete hanc labem, Ger-  
 mani, à Christiano nomine: tantum dedecus non admittite:  
 vitam & sanguinem vestrum antè profundite. Non solum in  
 hoc bello bona & facultates vestræ & lares & foci aguntur? agi-  
 tur libertas: agitur vita vestra & liberorum vestrorum: agitur  
 pudicitia conjugum vestrarum: agitur incolumitas totius Reip.  
 agitur



AD GERMANOS.

agitur posterorum salus: agitur maiorum gloria: agitur religionum a vitæ conservatio: aguntur æternæ vitæ bona: agitur veri Dei templa, altaria, sanctissimus cultus & immortalis gloria.

Atque ego hætenus sic ago vobiscum, & id solùm à vobis postulo, Germani, ut vestra, quæ adhuc habetis, defendatis: qui jam dudum vos cohortati debebam, & classico orationis meæ animos vestros incendere, ad repetenda ea, quæ cum Christianorum & vestra olim fuerint, jam à Turca possidentur. Christianorum olim fuit tota Hungaria: illorum Bosna: illorum Servia: illorum fuit Bulgaria: ne dicam Macedoniam, Epirum, Thessaliam, Græciam: Constantinopolin adeò ipsam, & quæcunq; intra Bosphorum Thracium & mari mediterraneo clauduntur: Christianorum omnia fuerunt. quæ nunc miserè ante oculos perculsa & prostrata jacent: oppressis & vexatis incolis: obscurata & contrita religione: Christiano nomine propè penitus deletò. Illi verò qui Christum adhuc ibi colunt, omnes hoc unum orant atq; exoptant à Deo immortalis, ut vobis hanc mentem largiatur, ut ad vindicanda vetustæ libertatis & a vitæ religionis jura in ea loca cum exercitu proficiscamini, & armis ac vi repetatis, unde vi dejecti estis. Agite, Germani, suscipite hanc causam, ad quam vos miserorum illorum preces & vota exhortantur: quæ vestra, quæ Romanorum, quæ Christianorum olim fuerunt, postliminio repetite: arma induite: Bosnam invadite: Croatiam & Slavoniam, quarum titulos usurpatis, vobis vindicatis: Græciam recuperate: in ipsa Thraciæ viscera irruite: Constantinopolin victoriæ signum & metam vobis proponite. Romani, si socij violati essent, injuriam non minus, quàm si sibi illata esset vindicandam putaverunt: vos membra à corpore imperij vestri resecta impunè feretis? Græci obruptam mulierculam stupenda expeditione Ilium per tot annos oppugnavunt: vos ob tot direptiones, expilationes, vexationes

Chri-



CLASSICVM

Christianorum nefandas & penè continuas expeditionem suscipere gravabimini? Iudæi arca fœderis à Philistæis capta bellum, nisi restituta esset, decrevissent: vos religionis vestræ cunabula bello in potestatem non recipietis? Recordamini gloriosissimam illam Argonautarum nostrorum expeditionem: tantas copias ac Iasone illo Germanico Bulioneo in Palæstinam ductas: Turcas Palæstinà exutos: ipsum regem Christianorum spineâ coronâ exemplo Christi insignitum. Quod si illi nō recusarunt tam longè à domo proficisci ut ea loca, ubi Christus in cunis vagierat, quæ docens vestigijs suis institerat, quæ illum mori & resurgere viderant, à Mahometica barbarie vindicarent: annè vos vicinas provincias, in quibus paulò antè doctrinæ coelestis veritas culta est, nunc verò propemodum extirpata, susceptâ expeditione recuperatas nitore suo & veritati restituere pigebit? Quo si neque gentium illarum vota, neque pietatis ardor, neque gloriæ cupiditas vos adducere possit: imperij vestri, quod adhuc tenetis defensio meritò vos eò pertraheret. Si enim à vobis hoc animorum ardore & constantia resgereretur, ut bello è finibus vestris translate hostem ipsum domi invaderetis: finem sanè ille crebræ irruptiones caperent, quibus hactenus estis expositi, defendèdo magis sua quàm aliena appetendo esset ille occupatus. Discite hoc à Romano illo Scipione, qui cum in Africam exercitum trajecisset, tum primùm à tot annorum vastatione Italia respiravit, Hannibalem ad Carthaginem defendendam revocato. Atque utinam, quem admodum iidem Romani Antiochum regem suis provincijs excedere iustum ultra Taurum montem rejecerunt: ita vos hostem vestrum Europa expulsam ultra Hellepontum in Asiæ illa cunabula, unde primùm emerfit, aliquando reijciatis;

Hoc si quibusdam vestrum difficilius videtur quàm ut adipisci possimus, quodque optari facilius possit, quàm sperari: illi videant, ne plus tribuant hostium viribus & potentia, quàm  
sua



AD GERMANOS.

suæ fortitudini & auxilio Dei immortalis, nevé timidiorez sint  
quàm cautiores. Est omninò magna moles huius belli: sed ta-  
men tanta, vt humeri nostri, si modo anniti velimus, non pla-  
ne sub ea deficient & concidant. Decertandum nobis est  
cum potente & audace aduersario, sed qui tamen sæpè supera-  
tus sit. Educentur contra nos copiae è tot gentibus collectæ:  
sed quibus nos, si velimus, penè parem numero, virtute certè  
& fortitudine non inferiorem exercitum opponere possimus.  
Circumspicite & numerate florentissimæ patriæ vestræ latissi-  
mas prouincias: amplissimas vrbes: clarissimos duces: fortissi-  
mos equites: lectissimos ciues: robur & florem iuuentutis. ad-  
dite jam, quòd vestro imperatori pareat ditissimum Bohemiæ  
regnum, & bellicosissima, quæ penè sola tandiu hostium insul-  
tus sustinuit, Hungaria. quòd Transyluanix princeps pro vestra  
libertate dimicet. conjungite cum his Italiæ rerum olim domi-  
natricis auxiliares copias. prospicite vobis de Polonorum soci-  
etate. ex quo regno olim progressus Vladislaus Vngariæ & Po-  
loniæ rex, duorum populorū copijs in Thraciam bellum trans-  
ferre & Constantinopolin propè ipsam aggredi ausus est. quan-  
quam infelici audaciæ fato. ne Moschos quidem repudiate,  
quoniam vltro se offerunt. Potestis nè dubitare, quamuis for-  
tasse Poloni societatem belli, quod nolim, detrectent, tamen  
ex vestro vnitisq; illi regnis si florem & robur incolarum educa-  
tis, quin justus maximusq; conflare possit exercitus? Quod cum  
jam agere & in eo vos esse animaduertam: id tantum, quod i-  
psi intelligitis, reliquum est, cum majorum vestrorum exempla  
testentur, bellicositatem propriam esse Germanis, cumq; na-  
tura vobis magnanimitatem & corporum proceritatem ac ro-  
bur largita sit; cumq; & equitum & peditum non erubescendis  
copijs abundetis; cumq; stipendia ex redditibus prouinciarum &  
exactionibus necessarijs coacta vobis deesse non possint: vt his  
omnibus rectè, prudenter & fortiter vtamini. Quod quibus re-  
bus

E

bus





CLASSICVM

bus & institutis vobis prouidendum sit: scitis equidem ipsi, qui toties jam bella gessistis. Ad bellum vt classicum canerem, in me suscepi: id quomodo administrandum & gerendum sit, vt vos doceam, meum non est. neque mihi sumo, quod vestrarū est partium. Illud quidem in medio positum est, concordia ciuili ante omnia vobis opus esse, ad quam ante vos hortatus sum cum ea maximè laboretis. Quod si concordia domi stabilita, ducem belli elegeritis, in quo virtutes imperatoriæ, si non summæ (non enim omnia sæcula Hunniades aut Scanderbegos gignunt) saltem mediocres fuerint: militem porrò obedientem, id quod ex ducis auctoritate cæterisq; virtutibus pendet: vtrunque verò patriæ & libertatis, quàm prædæ & rapinarum amantiorem: dubitare non debetis, quin hisce bellicæ disciplinæ nervis & fundamentis facilè reliqua, quæ in diem offeruntur, assecuturi sitis, & hostem vestrum profligaturi.

Huc accedit, quod equidem animos vestros acere & fortitudinis robur augere summo operè debet, hostilis causæ turpitudine, vestræ bonitas. Cui enim dubium esse potest, vtra pars maiore animo & feliciore successu dimicatura sit in ea pugna, in qua audacia cum fortitudine, crudelitas cum magnanimitate, profana impietas aduersus pietatem, pactorum seruantissimi in foedifragos. Turcæ contra Christianos præliantur? Illi vt injuriam vobis inferant, arma sumserunt, vos vt vlciscamini, illi vt pietatem & religionem deleant, vos vt protegatis, illos ad vim vobis inferendam improbitas & libido stimulat, vos ad vindictam cogit pudor & necessitas. Hinc Dei veneratio & timor: illinc contemptus Dei & omnis religionis pugnat. Vtrum putatis fortiorem Mahometem quàm Christum? quid quæritis? si causam cum causa comparatis, iam vicistis.

Aperite lumina animorum vestrorum & mentibus vestris attendite, quem causæ, quem prælij ducem habeatis. Ad Regillum lacum, cum olim ab A. Posthumio Dictatore ancipiti prælio



### AD GERMANOS

prælio pugnatum est, visi Castor & Pollux in equis, nutantem Romanorum aciem restituisse crediti sunt. In nostra acie signiferum & ducem volitatem videbimus non Geminos illos, qui nusquam sunt, sed hunc vnicum, cuius nutu & potestate omnia terrarum sola reguntur, Deum, qui & potest omnia, & si illum modò sanctè pieq; veneramur, vult omnia pro nobis. David regius vates gloriatur hunc vnum esse, qui pedibus suis hostium ceruices subiciat, cuius prælia ipse prælietur, cuius præsidio hostium muros conscendat & solo æquet. Vos quoque Germani prælia Domini geritis, pro Dei gloria? pro delubris atque aris, pro iusticia, pro religione dimicatis: quid dubitatis, quin hunc defensorem in subsidijs imò inter primipilos sitis habituri? Si impares vos futuros veremini hostium multitudini: veniat vobis in mentem Samsonis maxilla: recordamini Holofernem muliebri manu interfectum: Aspicite Ionathan cum armigero totum Philistæorum exercitum fugantem: reuocate vobis in mentem Helisæum & flammantes illas angelorum acies. quid aut de ipso Dauide dicam, toties è Saulis manu erepto? aut de Ezechia rege angeli ope Sennacharibi conatus & minas in jugulum ipsius vertente? aut de Machabæo, parua manu magnas & crebras hostium strages edente? aut de Moyse manibus in nubes erectis, fortius quàm gladio pugnante? Quæ cum vobis nota sint, quomodo paruo animo esse potestis? § Hoc vnum à vobis postulatur, vt hunc ducem & moderatorem belli placeatis, non solùm precibus & supplicationibus, sed vitæ integritate pietate, officij vestri sedulitate, Romani nunquam Imperatorem elegerunt, aut bella susceperunt, nisi auspicatò, iidemque cum ad Cannas res malè gesta esset, Iunonis iræ id acceptum retulerunt, quam olim injuria affecisse Varro consul accusabatur: quanto magis vobis opera danda est, vt bonis auibus & propitio Deo ad hoc tantum & tam difficile bellum aggrediamini; Versentur vobis ante oculos delicta vestra, quibus Deum offendistis



CLASSICVM

distis: deplorate securitatē animi vestri: luxum illum, quo superfluitis, intra modum & modestiam coercete: expiate impietatem mentium vestrarum: mitigate Deum lachrymis: placate illum, ut verbo omnia complectar, Pœnitentia. neque ad id ceremonijs multis opus est: opus est contrita mente, certa fide, puro cultu. Quod si vel omnes hoc feceritis, vt à vobis postuletur & æquum est, vel millesimus quisq;, cum & Sodomitas propter decem Deus seruaturus fuisset: nolite dubitare, quin in castris & acie vestra Deum vexilliferum & propugnatorem inter primos volitantem sitis animaduersuri. Ecce vobis vades Niuiitas, vadem Ezechiam regem.

Quamobrem, cum victoria quodammodo propria vestra vobisque in manu collocata esse videatur hoc belli duce? ut eò erectiore animo sitis, hoc quoq; etiam atq; etiam cogitate, quàm gloriosum vobis hoc bellum futurum sit. Quod si vobis hoc Sibylla vel potius Daniel aliquis affirmaret, vos in ea loca proficisci, unde nunquam redituri essetis: tamen hæc belli conditio non esset recusanda, in quo mortem atque interitum immortalis gloria esset consecutura. Etenim qua alia conditione Curtius ille pro patria in lethalem specum se præcipitavit? duo Decij in confertissimam hostiam aciem morituri se coniecerunt? Fabij trecenti Hetruscorum gladio se objecerunt? Scævola cum vitæ periculo Porcenæ vim intentavit? totæ adeò legiones Romanorum in ea loca profectæ sunt, è quibus se non redituras norant, quàm hoc unico laudis & gloriæ post mortem vigentis stimulo impulse? Dulce adeò & honestum est pro patria mori antiquissima & sanctissima parente, ut ait Orator. Itaque ille Hector apud Homerum Polydamantem in clamat: *ἔτι θάνατος ἀρίστος ἀμείβεσθαι περὶ πάτριον*. Etenim comparatum hoc natura quodammodo ita est, ut quod Reip. præstatur beneficij id maximè post mortem elucescat, & perpetua hominum memoria contineatur, adeo vt etiam eos amare & admirari cogamur, qui



AD GERMANOS.

qui ante multa sæcula obierunt, si quid fortiter pro patria gesserint. Quis enim nostrum non beatum prædicat Epaminondam illum victoriæ conditione mortem, cum jam moreretur, sibi gratulantem, & tum denique è vulnere sibi auelli spiculum jubentem, posteaquam ei dictum erat, suos vicisse? Cui non admirabilis videtur illa in Attilio pro patria mortis contemptio & ad crudelissimum supplicium spontaneus reditus, qui, etiamsi, ut ait Horatius,

*Sciebat, quæ sibi barbarus  
Tortor pararet: non aliter tamen  
Dimouit obstantes propinquos  
Et populum reditus morantem:  
Quam si clientum longa negotia  
Diiudicata lite relinqueret  
Tendens Vena franos in agros  
Aut Lacedæmonium Tarentum?*

Quod si hi, quibus futuræ vitæ spes vel nulla vel dubia proposita fuit, patriæ caritati vitam & spiritum consecrârunt: quid à vobis religionis illius caritas, quam profitemini, quæq; vitæ immoralitatem vobis promittit, quidq; diuini nominis ac sacrorum defensio postulet, ipsi intelligitis. Ac si Themistoclis illa Salaminia trophæa nulla unquam temporum obliuione delebuntur: neque Leonidæ & trecentorum Lacedæmoniorum fortitudinem Thermopylæ loqui & clamare desinent, quam admirabilem gloriam atque indelebilem fame diuturnitatem vobis meritò in hoc sacro bello pollicebimini: etiam si in eo mors esset oppetenda?

Iam verò cum futurum sit, ut, si benè rem gesseritis, superstites gloriæ vestræ interfuturi ac pulcherrimum sensu præsentis fructum ex gratulatione omnium percepturi sitis: quanto magis præsentis gaudij sensus delectare animos solet, quam futuri, tantè alacriore impetu & concursu arma expedire debetis.

Vestra



CLASSICVM

Vestra enim opera bene gesta & profligatis hostibus: in Hungaria, Transyluania, Moldauia: in Austria, Carniola, Morauia: quæ jam solitudine & squalore lugent, ad nitorem & pulchritudinem suam reuertentur, quæ penè mortua sunt, reuiuiscunt: quæ conculcata, & cadauerum aceruis constrata, & sanguine humano madefacta, jam ante oculos jacent: reuiescere & semente annua pullulascere incipient: coloni ex agris in vrbes pulsati ad domicilia sua reuertentur: pascua & saltus pecorum & armentorum gregibus increbescunt.

Ipsa adeò flumina & montes, ipsa vrbiũ tecta, ipsi vici & castella ipsi templorũ parietes atq; altaria ope vestra cõseruata lætabuntur & intimis medullis gaudio exultabunt. tota denique Germania vestris laboribus, consilijs, periculisq; ex flamma atque ferro & è tanto terrore erepta atque liberata gratulabitur ac tacita quodammodo gratias vobis aget. Quòd si eò progrediemini, vt non solum hostem vincatis & ab Hungariæ ac Transyluanianæ finibus repellatis: verum etiam manu confertum vocatum Græcia illum ejiciatis & ipsum Byzantij caput petatis: tum verò non minorem gloriam, quam olim Argonautæ nostri, consequemini; neque vlla trophæa aut triumphum cum victoriæ vestræ celebratione & laudum perennitate comparabuntur: vestræ res gestæ memoria posterũm alentur: sermonibus crescent: literarum monumentis inueterascent & corroborabuntur.

Ite igitur, ite, fortissimi Germani, in sacrum hoc & gloriosum bellum: expedite manus, accingimini. Necessitas cogit, jus & æquum postulat, leges iubent, libertas suadet, patria orat, liberi & vxores obsecrant, diuina religio flagitat, ipsa fana atq; sacraria Dei vos obtestantur. Cogitate, in quem locum progrediamini, ex quo nisi victoribus redire non liceat. Hostem habere vos scitote truculentum quidem & immitem: sed male causæ conscientia formidolosum. Deum vobis, Deum adesse recordamini, qui in prima acie militet.

Nihil



AD GERMANOS.

Nihil turpius fuga & signorum desertione, nihil præclarius victoria esse statuite. Huc in ipso prælio ad vrbes, ad tecta, ad vxores & liberos vestros respicite. In illo gladio, quem vagina educitis, urbium & tectorum vestrorum incolumitatem, liberorum vitam, vxorum pudicitiam fertis. Vestrum est fortiter dimicare & lateta atq; jugula pro Germania hostilibus telis obijcere: nos in domesticis parietibus atq; intra hæc templa sanctum illud & cœleste numen venerabimur atque implorabimus, vt inuictum nostri imperij caput, clarissimos principes, quamque hætenus pulcherrimam & florentissimam esse voluit, Germaniam, suo subsidio, vestra manu à perditissimorum hostium scelerata rabie defendat: ipsosq; inimicos omnis probitatis, parricidas suorum, latronas Christianorum, prædones prouinciarum omnium, æternis supplicijs viuos mortuosq; mactet.

SOLI DEO GLORIA.









Be 231

8

Di.

ULB Halle 3  
002 690 756



56.


V077











CLASSICVM AD  
Germanos.

CONTRA TVR,  
CAS MUSVLMANNOS  
EXECRANDA IMPIETATE, ET  
inaudita crudelitate in Ecclesiam filij  
Dei grassantes publicè re-  
citatum

IN  
Academia Rostochiensi

A  
MARTINO BRASCHIO P. L.  
& Logices Professore.



FRANCOFVRTI,

Typis Ioannis Collitij, impensis Pauli  
Brachfeldij.

ANNO M. D. XCVII.

3.